

& Algarbionum subiecti excommunicationi Summo Pontifici, praequam in articulo mortis, reservatae, omnes docentes oppositum, contradicentes, ac male interpretantes dictas Apostolicas literas & decernit, Confessarios praesentes interrogare poenitentes de nomine socii, seu complices, loco habitacionis, & aliis similibus circumstantiis, & eidem poenitentibus, si manifestare voluerint, sacramentalem absolutionem denegantes, ultra peccati mortalis incursum, suspensionis ab Officio audiendarum Confessionum, aliusque gravioribus poenis fore subiectendos. Tam docentes licitam esse dictam reprobatae praxim, quam in ejusdem praxim defensionem scribentes, aut loquentes, & ejusdem reprobationem impugnantes, ac perverse interpretantes; & ipsos Confessarios contrafacientes cum suspitione pravi dogmatis, iudicari, ac puniri mandat in Officio S. Inquisitionis; cui Sancto Officio omnes scientes similes delinquentes denuntiare teneantur intra terminum dierum in ipsis edictis praefigis solum, sub poenis non denuntiantibus per eadem edicta intelligi consuetis: Confessarios autem contrafacientes sine dicta pravi dogmatis suspitione iudicandos, & puniendos esse ab Ordinariis, nec esse S. Officio denuntiandos decernit.

46 In secunda autem data sub 28. Septembris 1746. incipiente Ad eradicandum: confirmat, & ampliat suas jam ad id editas Apostolicas literas, decernens, ipsas non solum pro regni Lusitaniae, & Algarbionum, sed generalis definitiois & legis vim auctoritatemque habere, & declarans memoratam praxim in seipsis, & ubique locorum, ac temporum Apostolica Auctoritate reprobatae, atque damnatae esse, & censei debere: Nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato suo Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub poenis adversus tales, asserentes, aut tradentes opinionones scandalosas, pernitiosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque praescriptis.

47 Et esse suspectum de Fide, & subiecti iudicio Inquisitorum eum, qui revelat Confessionem, & frangit sigillum, resolutum fuit a Congregatione S. Officii 4. Decembris 1603. tum 29. Januarii 1604. & demum die 17. Junii 1605.

48 Sequuta fortassis fuit Sacra Congregatio opinionem nonnullorum Doctorum tenentium, expedit hoc delictum Inquisitoribus deferri ex ratione illa, quod Confessarius redditur suspectus de fide ex injuria, quam irrogat Sacramento; D. Leon de Offic. Confessarij. tom. 1. recollect. 22. num. 12. Campanil. divers. jur. Canon. rubr. 11. cap. 32. num. 5. Trasmir de polygam. l. 3. q. 2. num. 30. in fin. & latius num. 53. alioque plurimi.

49 Sed, ut refert Albic. de Inconstant. in fid. cap. 35. n. 88. 23. Martii 1619. ab eadem Sacra Congregatione fuit resolutum, causam hanc non spectare ad S. Officium, & ita semper fuit postmodum servatum.

50 Ceterum; ut subdit idem Albic. ubi supra, & convenit Auctor. num. 36. prima opinio locum sibi vindicat quando frangens sigillum Confessionis habere aliquid errorem in intellectu, ut si diceret licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostenderet se male sentire de ecclesiasticis sacramentis.

51 Tum etiam procedit prima opinio, si ageretur de Confessario, qui pluries sigillum Confessionis fregit, idque quia ex hisce iteratis actibus insurget saltem levis aliqua suspicio haeresis; Albic. citato loco.

52 Et demum amplectenda est prima opinio, si Confessarius frangens sigillum Confessionis esset homo male famae, & alias de haeresi suspectus; Albic. eod. loco.

53 An propter delictum haeresis licita sit revelatio Confessionis, tum an alius ex causis possit aliquando esse licita revelatio Confessionis; Vide apud Albic. loco pluries allegato.

SIMONIA.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

- Simoniam quoad ea, quae concernunt ejus originem, naturam, divisionem, materiam, & pretium.
- 1 Simonia unde sis dicta, & originem traxerit.
 - 2 Simonia quid sit.
 - 3 Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum.
 - 4 Simonia dividitur in simoniam juris divini, seu naturalis, & in simoniam juris humani, seu ecclesiasticam.
 - 5 Simonia juris divini, seu naturalis quae sit.
 - 6 Simonia juris humani, seu ecclesiasticae quae sit.
 - 7 Utraque dicta simonia dividitur in mentalem, conventionalem, & realem.
 - 8 Simonia mentalis quae sit.
 - 9 Haec simonia mentalis, quamvis sit grave peccatum, nullam tamen inducit poenam canonicam.
 - 10 Simonia conventionalis quae sit.
 - 11 Et haec simonia conventionalis nullam adhuc inducit poenam canonicam.
 - 12 Simonia conventionalis alia vocatur pure conventionalis, & alia mixta, & quae sit utraque.
 - 13 Simonia realis quae sit.
 - 14 Ultra praedictas, alia additur species simoniae confessionalis, & quae sit.
 - 15 Affertur ad id Constitutio S. Pii V.
 - 16 Materia Simoniae est res spiritalis, seu spiritali annexa.
 - 17 Per rem spiritalium quid intelligatur, ad n. 18.
 - 19 Per rem spiritali annexam quid intelligatur, & veniat, ad n. 20.
 - 21 Pretium simoniae juris divini est omnis, & sola res temporalis.
 - 22 Pretium vero Simoniae juris ecclesiasticae potest esse etiam aliquid spirituale.
 - 23 Extra materiam beneficiorum nunquam committitur simonia etiamsi propria auctoritate, detur spiritali pro spiritali.
 - 24 Pretium simoniae in Jure vocari solet, Manus, & quid importet.
 - 25 Pretium, seu manus simoniae dividitur in manus a manu, manus ab obsequio, & manus a lingua.
 - 26 Per manus a manu quid intelligatur.
 - 27 Per manus ab obsequio quid intelligatur.
 - 28 Per manus a lingua quid intelligatur.
 - 29 Ad simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inebitatum.
 - 30 Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inebitatum.
 - 31 Pactum, etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, & non ex iustitia, adhuc continet simoniam.
 - 32 Qui dat aliquid temporale tanquam motum alicujus spiritalis sibi recipere damni, committit simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat aliquid spirituale, quamvis nullum aliud pactum, nec implicitum quidem interveniat.
 - 33 Non est simonia dare, seu prestare temporale sub spe consequendi spirituale, si spirituale non principali, & primario, sed solum secundario, & minime principali, intendatur: Sacus autem si spirituale intendatur principali, & primario. In die patet quid de Clerico famulatum praestante Episcopo ob consequendum beneficium.
 - 34 Dato ex gratitudine temporali pro spiritali, jam accepto, vel ex gratia, est simonia, si fiat, ut patet.

aut contractus taciti, vel expressi; secus autem, si ex mera gratitudine sine ullo precedenti pacto id fiat.

35 Dantur tamen multa spiritalia, ob quae quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem Juris prohibitionem.

36 Simoniam committit, qui temporale promittit, dat, vel prestat alteri hac sola, seu principali intentione, ut apud Episcopum, seu Praesentorem, vel Patronum interscedat, rigeat, vel ipsum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum beneficium ecclesiasticum.

37 Simoniam committit, qui certat, seu spondet cum Episcopo, seu Collatore beneficij pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus.

38 Conferens beneficium pecunia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit simoniace.

39 Non est simonia conferre alicui beneficium ecclesiasticum interdu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiae spiritalis.

40 Non est simonia conferre beneficium propter preces arnatas, sive gratiam metum incusum: Dummodo tamen nullum interveniat pactum; secus autem, si intervenierit pactum.

41 Non est simonia, si quis det pecuniam Infideli, ut recipiat Baptismum, hereticum, seu peccatori, ut convertatur; Jureni, ut fiat Clericus, doctem puelle, ut fiat Monialis, & hujusmodi.

42 Alia ad rem, remissive.

43 Addit. ex Audi. & ex aliena manu, ad num. 48.

1 SIMONIA dicta est, & originem traxit a Simone Maggo; (Leg. 1. tit. 17. part. 1.) Licet enim jam a pluribus ante ipsum Simonem Magum vitium istud commissum fuisset, ut a Balaam pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Israel, sicuti habetur Num. c. 22. a Giezi famulo Elisei Prophetae (Leg. 2. ejusd. tit. c. 2.) ut habetur 4. Reg. cap. 5. a Jasone, qui pro Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulit, ut patet 2. Machab. cap. 5. & a Juda iniquo Mercatore, qui triginta argenteis vendidit Infinitum bonum Christum Redemptorem nostrum; cap. Qui studet 11. ca. 1. q. 1. Attamen non ab istis, sed a Simone Mago vitium istud nomen desumpsit. Cum enim hic vidisset, quod per manum impositionem ab Apostolis daretur Spiritus Sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime spiritualem vili pecuniarum pretio emere praesumebat, ut expresse habetur Act. 8. ubi: Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuiuscumque imponerem manus, accipiat Spiritum Sanctum: Cujus execrabilem malitiam illico increpans S. Petrus dixit ad eum; pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia perdidisti: Perdidit enim ille execrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam consequi, ut eandem cum questu, & majori temporali lucro exercere videret, ut expresse habetur in cap. Salvator 8. caus. 1. q. 3. ubi: Simon Magus, qui ad fidem fide accessit, non Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, (quoniam, ut scriptum est, Spiritus Sanctus discipline effugiet filium) sed in eo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quae per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. (Vid. eam. Leg. 1.)

2 Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spiritali annexum, pro re temporali ut pretio: Est in re Communis. Quamvis tamen alii clarius cum Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 1. eam definiant sic. "Simoniam est sacrilegium, quo per emptionem, & venditionem, vel similem contractum, res spiritalis, ut talis, pro temporali commutatur." Sic enim comprehenditur omnis contractus etiam innominatus: Do ut Des, Do ut facias &c.

3 Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. Communis. Et quod sit sacrilegium, habetur expresse ex c. Audivimus 1. caus. 1. q. 3. Per eam enim indignae, ac irreverenter tractantur res sa-

erae, seu spirituales, quod semper est sacrilegium quod autem sit peccatum mortale gravissimum clare habetur ex Act. 8. ubi Sanctus Petrus in Simonem Magum cum aeternae perditionis comminatione graviter invehendo dicit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia perdidisti. (leg. sup. 1.) Unde Urbanus II. in cap. Salvator 8. caus. 1. quest. 3. ait: Nec Apostolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitio-nem questus talis, & avaritiam, quae est Idolorum servitus, exhorruit & tum maledictionis jaculo percussit. Item quod sit gravissimum peccatum, colligitur ex pluribus sacris canonibus, & signanter ex c. Quisquis ut caus. 1. q. 1. ubi simonia vocatur picular flagitium, cap. Reperitur 7. caus. & q. eadem, ubi appellatur execrabile flagitium, cap. Eos qui 21. caus. & q. ead. ubi Simoniaci Juda comparantur proditori, qui Judaeis Dei occisoribus Christum vendidit, c. Patet 27. caus. 1. q. 7. ubi Paschalis Papa gravissimum hujus vitii malitiam, & pravitate paucis exprimeret dixit expresse. Omnia crimina ad comparationem simoniace haeresis quasi pro nihilo reputantur, & sic ex plurimis similibus.

Simoniam dividitur in simoniam juris divini, seu naturalis, & in simoniam juris humani, seu ecclesiasticae. Sic Glossa communiter recepta in cap. Ex parte 12. verb. Dimittere, de Offic. Delegat. & Canonista Communitur. Simoniam juris divini, & naturalis, est quae prohibetur, quia mala, & repugnans Juri naturali ac divino, ut pro temporali dare vel promittere rem vere spiritualem, aut annexam spiritali, verb. grat. hostiam consecratam, sacramenta, reliquias, calicem consecratum, ut consecratum, & hujusmodi. Et dicitur Simoniam juris divini & naturalis, quia natura ipsa, seu lumen naturale dicitur, nimis indecens malum, & rei sacrae injuriosum esse res vere spirituales a sola liberali Dei manu dependentes, & omnia temporalia sine comparatione superantes; non ut tales tractare, sed rebus temporalibus aequiparare, & hominum arbitrio, & aestimationi subicere. Simoniam juris humani, seu ecclesiasticae, est quae mala est, quia prohibita solo Jure humano, seu ecclesiastico, & non ex natura rei, seu Jure divino; & committitur, quando non quidem tempore temporale pro spiritali, aut e contra, sed spiritali pro spiritali, vel temporale pro temporali contra legem tamen ecclesiasticam ex motivo Religionis postitam poenis simoniae Juris divini ob periculum, & speciem ejusdem simoniae: Et dicitur juris humani, seu ecclesiasticae, quia ortum habet a sola lege humana, seu ecclesiastica: Et talis simonia juris humani seu ecclesiasticae committitur in omni permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, quia licet per talem permutationem contractum non detur temporale pro spiritali, sed dumtaxat spirituale, pro spiritali; nihilominus quia tamquam simoniace, & sub poenis simoniae prohibuitur, est, ne id propria auctoritate fiat, c. Quasium 5. c. Cum olim 7. de rerum permutat. labem simoniae ecclesiasticae continet. Item simonia Juris humani, seu ecclesiasticae committitur, quando venduntur res, quae revera tantum sunt temporales, ut cum venditur materia rei spiritalis, quae secundum se est pretio aestimabilis, verb. grat. Sacrum oleum, vel Chrisma, quod prohibuitur est solo Jure Ecclesiastico, cap. Non satis 8. de simonia: Vel cum venduntur quaedam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum ecclesiae administrationem, ut Officium Thesaurarii, & Economis, Sacristae, & hujusmodi; quamvis enim hac officia sint quae mere temporale, & consequenter in eorum venditionem detur solummodo temporale pro temporali, tamen quia ex quo talia officia ab ecclesiastica potestate, & jurisdictione Praelatorum a Christo data insistantur, ecclesia id tamquam Simoniace prohibuit, cap. Si quis Episcopus 8. caus. 1. q. 1. c. Salvator 8. caus. 1. q. 3. c. Consulere 38. de simonia, cum similibus, venditio hujusmodi labi, & poenis simoniae subjacet. Sic in re Doctores communiter. (Ex praedicta leg. 1. omnia comprobantur.)

Utraque dicta simonia, tam Juris divini, seu naturalis quam Juris humani, seu ecclesiasticae dividitur

in *Simonia mentalem, conventionalem, & realem. Communis. Simonia mentalis* est voluntas, seu propositum internum, quo quis dum dat seu confert alteri rem spirituales, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale; aut e contra dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid spirituale, ut si Episcopus confert beneficium Clerico, ut ideo in compensationem obligatus sit ei servire; aut Clericus serviat Episcopo ea intentione, ut ei in mercedem debitam conferat beneficium, & tandem beneficium conferatur, nulla tamen exterius reali, vel signis facta conventionem, seu pacto; unde, ut vides, hæc simonia dicitur mentalis, non quia sit nudum propositum committendi simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorum exeat, uti datur etiam mentalis fornicatio, homicidium, & hujusmodi; sed quia licet externum actum habeat, v. g. collatio rei spiritualis pro intenta re temporali, aut e contra, malitia tamen illius simoniacæ intentionis se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. *Communis.* Et hæc simonia mentalis, quamvis sine dubio sit grave peccatum à Deo cordium Scrutatore districtè puniendum, nullam tamen in quacumque materia inducit poenam canonicam ab ecclesiis infirmandam, cum ipsa iudicet solum de externis & manifestis, & talis simonia mentalis in foro externo probari non possit. Sic *Doctores communiter*, per text. in c. Tua no 34. c. Mandato nostro 46. de simonia.

10 *Simonia conventionalis*, quæ supra mentalem addit conventionem, seu pactum, est illa, quæ fit cum externo pacto, seu conventionem expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam spirituale pro temporali, aut temporale pro spirituali, conventionem tamen nondum impleta saltem ex utraque parte; adeoque iam gravius peccatum, quàm Simonia mentalis: Unde committitur Simonia conventionalis, non tantum quando v. g. collato Beneficio non est solum pretium, aut quando soluto pretio, non est collatum beneficium, sed etiam quando neutrum datum est; si dando pactum, seu conventio præcesserit. Sic *Communis Doctores*, per textum in cap. Cum essent 13. de simonia: Et hæc simonia conventionalis nullam adhuc inducit poenam canonicam, non solum quando conventio ex neutra parte impleta est, ut tradit *Communissimi Doctores*, sed etiam quando est iam impleta ex una parte, & id non solum si quis rem temporalem, v. g. pretium dedisset, spirituales tamen v. g. beneficium nondum recepisset, quia Jura imponentia poenam simoniaci requirunt traditionem rei spiritualis; verum etiam, si spirituale jam datum esset, sed temporale nondum receptum: Sic ex *Communis doctores Sanch. consil. mor. l. 2. c. 3. dub. 10. n. 106. Reiff. l. c. n. 239. Nav. in manual. c. 23. n. 104. Lessius l. c. c. 35. dub. 27. & alii* testantes ita servare stylum Curie, qui habetur pro Jure, & lege juxta communem Doctorem, arg. c. Ex literis 11. de constit. & cap. Quàm gravi 6. de crimine falsi; ad de hoc fusius infra art. 3.

12 Simonia conventionalis alia vocatur *pure conventionalis*, & est illa, quæ sistit in pura mutua conventionem, & ex neutra parte traditionem rei conventæ impleta est; Et alia vocatur *conventionalis mixta*, & est illa, quæ ultra mutuum conventionem jam saltem ex una parte traditionem rei conventæ impleta & consummata est; dicitur *mixta*, quia participat aliquid de pure conventionali, nempe mutua conventionem; & aliquid de simonia reali, nempe traditionem rei conventæ saltem ex parte unius contrahentis. *Communis.*

13 Simonia realis, quæ supra mentalem, & conventionalem importat executionem utriusque factam, est quando conventio de danda re spirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte completa est saltem inchoative, spirituali scilicet dato, & temporali saltem ex parte recepto, ut si conventa collatio beneficii facta jam sit, & pretii saltem pars sit soluta: Et hæc realis, & completa simonia inducit gravissimas poenas canonicas, de quibus fuse infra art. 3. *Communis.* (Vid. leg. 1. 2. 3. 5. 8. 9. & seqq. cum 20. tit. 17. part. 1.)

14 Ultra supradictas alias additur species simoniacæ,

quæ dicitur *confidentialis*, seu *confidentia beneficiorum*, & est, seu committitur, cum quis alicui dat, vel confert, aut resignat beneficium ecclesiasticum, vel ad illud præsentat, eligit seu electum, vel præsentatum instituit, vel confirmat cum certa confidentiali, & obligatione, id est, cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut tamquam ex debito illud sibi, vel alteri, ut fratri, nepoti, amico certo tempore iterum cedat, seu resignet, aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum tribuat. *Communis*, & clare patet ex constit. 85. Pii IV. incip. Romanum Pontificem: & ex constit. 85. S. Pii V. incip. Inolerabilis: ubi declaratur, quando, & à quibus committatur dicta *simonia confidentialis*, quando ob eam incurrantur poenæ, & quomodo in foro externo probari possit. Unde ad uberiorem, & faciliorem notitiam hic ad litteram datur illa Sancti Pii V. incip. Inolerabilis.

Declaratio casuum, ac præsumptionum in causis confidentialis beneficiis contra quoscumque etiam S. R. E. Cardinales cum appositione poenarum.

PIUS V.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuum rei memoriam.

INTOLERABILIS multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit captius providendi, quo pertinaciam animi ab improbis conatibus graviore sanctione proposita reprimantur.

§. 1. Bene quidem, & providenter fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciarie emancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptionem statuit, & decrevit.

§. 2. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hæc perniciose ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod Judices in causis hujusmodi confidentialiarum expediendis, remissores essent, omnes & singulas causas ipsas ubicumque, & inter quoscumque motas ad Nos advocavimus ad omnimodam hujusmodi causarum, præsentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipsius resultantium cognitionem Nobis, & Successoribus nostris reservavimus, & super quibusdam coram Nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentialiæ occulte irrepisse, sed plerisque causis præsumptiones, & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem hujusmodi confidentialias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in Judiciis confidentialias ipsas, contempta constitutione prædicta, ecclesias, monasteria, & beneficia sic recepta ut prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia, & graviora fiduciam commoveri. Multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeunt, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, aut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolute consecuta illa repant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt, & renuntiant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant; vel illa etiam in infantibus, aut nascituris aservent, sacro interdum

circuito retrocessionis cum reservatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis, qui præstantorum jurum Cam. Apost. sunt immunes, alii aut incapaces, aut alii beneficiis ecclesiasticis nonusti, aut ecclesiastico ordine sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum: Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, nec etiam Patroni laici curant deponenda beneficia, aut fructus seu pensiones capiant eorundem, alii se faciunt ministrari: Alia item permulta hujusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas imple violatur, disciplina ecclesiasticæ nervus dirumpitur, & imminens patitur exitium animarum.

§. 3. Quare nos volentes periculosam talium auctoritatem novi juris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus.

Ut si quis quacumque auctoritate ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personæ simpliciter, aut cum circuito retrocessionis, cum regressu, vel accessu etiam sola dimittens intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittatur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentialia censetur.

Item si Ordinarius, vel alius Collator contulerit antea, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscumque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum Conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius aperuisse vel alium scripto, aut verbo juserit, seu per se, vel alium scripto, & pariter si à Patrono etiam significaverit, persolvat, & pariter si à Patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

Ad hæc si Clericus prædictæ Camere, aut Cardinalis, aut alius à solutione jurium ipsius Camere, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicujus extranei, de ecclesia, monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel illud etiam confectis literis Apostolicis, & professione apprehensa, in eundem resignantem, vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum, vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus ecclesie, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservationem, aut regressum, seu accessum, & ingressum ad illam, vel illud ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fuerit concessus.

Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut deum quo super irregularitate dispensatus est, deum non receperit quacumque auctoritate ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium, ecclesiasticum quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentialiæ pravitatis sit contracta: casusque hujusmodi literis prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentialiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§. 4. Ad probandum vero plene confidentialiarum casuum inter alias etiam hæc præsumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet.

Si quis post cessam ab se ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captusque à Successore pos-

sessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, seu alios de facto ingresserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor illi, vel ejus propinquus ipsos, aut partem aliquam remisit eorumdem.

Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel sola Procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensuriorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariae ab illo factæ fuerint.

§. 5. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel aliis in negotio concessionis sese immiscuerit quovis modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit disposito quacumque.

§. 6. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones, & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

§. 7. Ceterum criminosi, & ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniacæ testimonium, recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

§. 8. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hocmalum gravius censuræ stimulo usquequaque prohibeat, omnes, & singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res intercedente hoc confidentiali vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi & respicientes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admitterit in futurum, etiam omnibus, & singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, & aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curie, & aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate priamur, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus ab alio, quàm à Romano Pontifice absolutiois beneficium valeat obtinere. Nos enim advocacione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram Nobis pendente noscuntur, ac etiam illis, quas ratione ecclesiarum, & monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios, Collatores, Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales, haberi contigerit, uti jam aliis nostris literis statutum est, audiendis, decidendis & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps pro quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesie Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuiuscumque quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in auctoritate, ubique iudicandi, & definituri debere, nec non irritum, & inane quidquid secus in prædictis pro quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quo circa omnibus locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, diocesis, & locis etiam exemptis ad prædicta studiosè attendant & quatenus illis relaxavimus in delinquentes severe animadvertant, si Divinæ Majestatis Judicium, dictæque Sedis censuram voluerint

evitare. In ceteris vero causis, & negotiis (Nobis, & prædictis Successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios presentium auctoritate delegamus, ut gratia, & favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes Sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant; ut Nos, & prædicti Successores, in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus: Non enim singulis Ordinariis ipsis prædictos omnes, & quoscumque alios etiam exemptos, etiam per Edictum publicum, consensu prius summatim, & extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisque, ac Judicibus ordinariis, & delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel aliis in illis se interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem, ac alios contra prædictos, & rebelles quoscumque per censuras, & poenâs ecclesiasticas, ac omnia alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii secularis, quandocumque opus erit, invocandi, ceteraque in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi plenam, & liberam tenore presentium concedimus facultatem.

§. 10. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, quodque Episcopis, Colatoribus, & Prælatibus prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusvis aliis communitur, vel divisim ad prædicta sit Sede indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad iudicium trahi non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorem existant; Per quæ presentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium, aut attributa prædictis Ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediti valeat quomodocumque, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Literis Prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

§. 12. Volumus autem, ut presentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cujuscumque curiæ ecclesiasticæ, vel Prælati sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem, & extra ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1569. Kal. Junii. Pontific. nostri anno 4.

16 Materia simoniae est res spiritualis, seu spirituali annexa; Communis.

17 Per rem autem spirituales, pro qua tamquam materia, seu merce datur temporale vi simoniae, non intelligitur res incorporea, ut Angeli, seu anima rationalis, sed omne, & solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem pertinet, & ad spirituales animæ salutem ex institutione divina, vel humana est ordinatum; Communis, arg. cap. Gratia 1. cap. Qui studet 11. caus. q. 1. cum similibus.

18 Et hujusmodi res spirituales sunt omnes gratiæ gratum facientes, & gratiæ date. Omnia Sacramenta, & Sacramentalia. Omnia divina officia, & orationes publicæ, & privatæ. Omnis actus Jurisdictionis ecclesiasticæ, ut absolutio à peccatis, & censuris, collatio Indulgentiarum, dispensatio in votis, & juramentis, electio, postulatio, presentatio, nominatio, institutio, collatio, Investitura cujuscumque beneficii, officii, ac dignitatis ecclesiasticæ, & hujusmodi, quæ ne simo-

niaci præstentur, seu efficiantur, passim prohibetur; Doctores communitur, per text. Act. Apostolor. c. 8. num. 20. ibi: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam domum Dei existimasti pecunia possideri; Matth. cap. 10. n. 8. ibi: Gratia acceptis, gratis date; cap. Gratia 1. cap. Quisquis 5. cap. Requiritur 7. cap. Qui per pecuniam 9. cap. Qui studet 11. cap. Eos qui 21. & cap. Nullus Episcopus 134. caus. 1. q. 1. cap. Nos satis 8. cap. Cum in Ecclesiæ 9. cap. De hoc 11. cap. Nemo 14. c. Veniens 19. c. Ex tua 20. c. Ad aures 24. c. De Regularibus 25. c. Nobis fuit 27. c. Suam 29. & c. In tantum 36. de simonia, cum similibus.

Per rem spirituales annexam intelligitur illa, quæ quidem in se, & intrinsicè spiritualis non est, sibi tamen annexam, & conjunctam habet rem spirituales, indeque materiam, seu mercem simoniae ingreditur; Communis, arg. cap. Si quis datur 2. cap. Si quis Episcopus 3. cap. Quasitum 4. cap. Si quis objecerit 7. caus. 1. q. 3.

Et hujusmodi res spirituales annexæ sunt Jus patronatus, redditus beneficiorum, pensiones, primitiæ, decimæ, oblationes, seu Jura haberi percipiendi, labor actualis in administratione Sacramentorum, & celebratione missarum, templa, altaria, calices, vasa, & paramenta sacra, Agnus Dei, & omnes aliæ res consecratæ, seu benedictæ, quæ omnes ratione, & intuitu talis connexionis cum consecratione, seu benedictione, vel cum beneficio, seu officio, aut ministerio spirituali, sunt materia, seu merx simoniae: Unde quæ tales vendi, emi & in commercio poni passim prohibetur in Jure, ut notant communiter Doctores, per text. in cit. cap. Si quis datur 2. cap. Si quis Episcopus 3. cap. Quasitum 4. cap. Si quis objecerit 7. cap. Salvator 8. cap. Ex multis 9. cap. Res Ecclesiæ 12. cap. Pervenit 13. cap. Altare 14. & c. Si quis Præbendas 15. caus. 1. q. 3. cum similibus.

Pretium simoniae Juris divini est omnis, & sola res temporalis, quæ datur, vel offertur pro re spirituali, vel spirituali annexa; Communis, per text. Act. Apostolor. cap. 8. num. 20. Matthæi cap. 10. num. 8. cap. Gratia 1. cap. Quisquis 5. c. Reperiuntur 7. cap. Qui per pecuniam 8. cap. Qui studet 11. cap. Eos qui 21. cap. Nullus Episcopus 134. caus. 1. q. 1. cap. Non satis 8. cap. Cum in Ecclesiæ 9. cap. De hoc 11. cap. Nemo 14. cap. Ad nostram 21. cap. Ad aures 24. cap. Nobis fuit 27. cap. Suam 29. de simonia, & c.

Dicitur autem notanter Pretium simoniae Juris divini, quia pretium simoniae Juris ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale, ut patet in materia beneficiorum, quæ licet sint quid spirituales, nihilominus si propria auctoritate fiat illorum commutatio, aut transactio in materia, committitur simonia Juris ecclesiastici, quamvis solum datur spirituales pro spiritualibus; Quasitum 5. c. Cum olim 7. de veram permittat. c. Cum pridem 4. de pactis, & c. Constitutus 4. de translationibus.

Extra tamen materiam beneficiorum nunquam committitur simonia, etiam si propria auctoritate datur spirituales pro spiritualibus, verb. grat. Reliquia pro reliqua, Calix pro calice, seu ciborio, & hujusmodi. Communis. Et ratio est, quia id nullo Jure, nec divino, nec humano reperitur prohibitum, immo id licet constat ex Sacra Scriptura, Joan. 1. ibi: Gratiam pro Gratia: Nulla enim irrogatur injuria rei sacræ, cum datur non pro re temporalis, sed solum pro spiritualibus.

Pretium simoniae in Jure vocari solet munus, non quidem prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus, seu debitum ex obligatione; munus enim accipitur tribus modis, quorum unus est prout importat dictum onus, ut expresse habetur in l. Munus tribus modis 18. ff. de verb. signif.

Pretium, seu munus simoniae dividitur in munus à manu, munus ab obsequio, & munus à lingua; Communis, textu expresso in cap. Sunt nonnulli 24. caus. 1. q. 1. ubi S. Gregorius Papa sic habet: Aliud est munus, ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua: Munus quippe ab obsequio est subjectio indebita

impensa, munus à manu pecunia est, munus à lingua favor.

16 Per munus igitur à manu intelligitur pecunia, cit. cap. Sunt nonnulli: ibi: Munus à manu pecunia est. Pro pecunia autem venit omnis res temporalis pretio æstimabilis, sive mobilis, sive immobilis; ut sunt equi, currus, vasa argentea, aurea, dolia vini, Jura, census, pensiones, mutatio pecuniæ, debiti remissio, seu dilatio, aut anticipata solutio debiti nondum finito termino, & hujusmodi. Communis, per text. in cap. Totum 6. caus. 1. q. 3. ibi: Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur; Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant. (Lex 1. tit. 21. part. 1. textum præcedentem astruit.)

17 Per munus ab obsequio intelligitur quodcumque ministerium, servitium, seu obsequium temporale, tacito, vel expresse pacto pro re spirituali præstitum, vel præstandum, & hoc præsertim pro beneficio, ita nimirum, ut beneficium detur, & acceptetur in compensationem ejusmodi ministerii, servitii, seu obsequii, velut mercedem, & solutionem ex justitia loco alterius mercedis temporalis solventæ. Communis, arg. cap. Cum essent 12. de Simonia, & cit. cap. Sunt nonnulli, ibi: Munus quippe ab obsequio est subjectio indebitæ impensa.

18 Per munus à lingua intelligitur omnis laus, commendatio, patrocinium, advocatio, intercessio, & hujusmodi apud alium, verb. grat. apud Episcopum ex pacto conventa, tamquam res ex justitia debita in compensationem pro re spirituali, verb. grat. pro beneficio. Communis, arg. cit. cap. Sunt nonnulli, ibi: Munus à lingua favor.

19 Ad simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum, aut intentionem dandi temporale pro spirituali, aut è contra.

20 Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inchoatum, vel intentionem, quo quis temporale dat animo, & intentione alterum obligandi, aut movendi ad recipere dandum spirituales, aut è contra. Communis, per textus in cap. Et si quest. 18. & cap. Tua nos 34. de simonia cum similibus. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 45. in ordine: Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed datur tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituales, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spiritualibus, aut è contra; Et insuper hanc aliam sequentem 46. in ordine: Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituales. Immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plus æstimetur, quam res spiritualis. In quibus propositionibus supponitur, quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto saltem implicito, aut interpretativo, ut exponunt Viva ad ipsas propositiones num. 1. Sporex loc. citat. num. 36. & alii.

21 Hinc colliges primo, quod pactum etiam si solum obliget ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, & non ex justitia, adhuc continet simoniam, superaddit enim novum gravamen pretio æstimabile, quia qui pactum hujusmodi non servat, esto alia via obligationi gratitudinis satisfaciatur, notatur saltem ut infidelis; tum quia gratitudo non obligat ad aliquod determinate præstandum, sicut obligat pactum illud prævium, adeoque & c. Unde simoniaca sunt omnia hujusmodi pacta expresse, vel tacite facta verb. grat. Si mihi consuleris beneficium, obligo me ex gratitudine ad tibi præstandum famulatum sine ulla mercede. Item: Si mihi conferes beneficium, dabo tibi vas argenteum, non tamquam pretium, sed veluti motivum compensationis. Item: Si des mihi liberaliter vestem, dabo tibi liberaliter beneficium. Et sic de aliis similibus, in quibus omnibus committitur simonia, quia quamvis dicatur signate id fieri ex gratitudine, ex liberalitate, in compensationem, & hujusmodi, exercite tamen admittitur nova obligatio distincta à debito grati-

tudinis, liberalitatis, & compensationis, sicut revera non est gratitudo, liberalitas, seu compensatio, sed pretium saltem æquivalenter, & consequenter adest in sua vera simonia. Sic jam Communis post damnationem duarum allatarum propositionum, unde non sunt amplius attendendi Doctores, qui contrarium antea scripserant.

22 Colliges secundo, quod qui dat aliquod temporale, tamquam motivum alicujus spiritualis sibi recipere dandi, verb. grat. ut alter moveatur ad conferendum sibi beneficium, committit simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat beneficium, quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem interveniat. Sic tenent jam passim Doctores cum Carden. dissert. 27. cap. 2. ad dictas propositiones damnat. Viva ibi, Reiffenstuel loc. cit. d. n. 77. La Croix lib. 3. part. 1. num. 73. & clare patet ex citatis propositionibus damnatis, & insuper ex cap. Tua nos 34. de Simonia, ibi: "Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admittunt, sine dubio, tam ille, quam illi apud districtum Judicem, (qui est Scrutator cordium, & Cognitor secretorum) culpabiles judicantur." Et concordat cap. Et si questione 18. de Simonia, ibi: "Quod autem scriptum est (beatus qui executi manus suas ab omni munere) de illis donis dictum est, quæ accipientis animam allicere, & pervertere solent." Et ratio est clara, quia dans taliter temporale, proxime parat sibi viam ad beneficium, & ob id motus conferens beneficium, dat spirituales pro temporalibus, quod verè est simoniacum.

23 Colliges tertio, quod non sit simonia dare, seu præstare temporale sub spe consequendi spirituales, si spirituales non principaliter, & primario, sed solum secundario, & minus principaliter intendatur; secus autem si spirituales intendatur principaliter, & primario, unde Clericus, si suum famulatum præstet Episcopo intendens ob id principaliter, & primario consecutionem beneficii, est simoniacus; secus autem si principaliter, & primario intendat gratiam Prælati, seu cognitionem suæ habilitatis apud ipsum, & inde secundario speret consequi beneficium; Sic expresse Glossa communiter recepta in c. Cum essent 12. de Simonia verb. Promiserat: ibi: Potest ergo licite quilibet servire Episcopo, vel alii spe future remunerationis, nec committitur simonia in tali spe, cum sine omni passione, vel conditione serviat, dummodo principaliter hac intentione non serviat. Et sic tenent Abbas in cit. cap. Cum essent, n. 4. Barbosa ib. n. 5. Silvester verb. Simonia, quest. 16. dist. 4. Navarrus in manual. c. 23. n. 102. Suarez de Relig. lib. 4. c. 45. n. 4. ubi dicit, hanc esse sententiam omnium; Pirhing lib. 5. decret. tit. 3. n. 86. Reiffenstuel ib. n. 89. & seg. ubi dicit, esse in re communissimam Theologorum, & Canonistarum, per textus in cit. c. Tua nos 34. de Simonia; Ubi postquam Summus Pontifex Innocent. III. de Clerico, qui bona sua offerens ecclesiæ rogavit, & speravit recipi in Canonicum, ita respondit: "Si pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua sibi retinere liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem ecclesiæ vere consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis: Statim subdit: Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admittunt, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem (qui Scrutator est cordium, & Cognitor Secretorum) culpabiles judicantur." Quid clarius?

24 Colliges quarto, quod dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto, vel è contra, est simonia, si fiat vi pacti, aut contractus taciti, vel expres-

si ante collationem rei spiritualis jam facti: secus autem si ex mera gratitudine sine ullo precedenti pacto id fiat. *Sic fere communis Doctorum.* Et quidem quoad primam partem clare patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. & relatis sub num. 30. Et quoad secundam partem clare habetur ex cap. Quidquid 101. caus. 1. quart. 1. ibi: *Nisi voluntarie oblata; cap. Dillectus 30. de Simonia; ibi: Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione oblatum, cap.* Et si quaestiones 18. eod. cum similibus; Et id patet ex communi recepta praxi, & universali consuetudine, qua, ut observat Navarr. *manual. c. 23. num. 106.* fere omnes ecclesiarum Praelati, Jurium peritissimi & conscientia timoratissimi beneficia ecclesiastica conferunt iis, qui de se, vel ecclesia per dona, & obsequia temporalia sunt benemeriti, ut sic obligationi *Antidotali*, seu *gratitudinis*, qua illis sunt obligati, rependendo spirituale pro temporali satisfaciunt. Item ubique terrarum viget praxis, & consuetudo, quod pissimi doctissimique viri post acceptum jam spirituale, *verb. grat.* beneficium ecclesiasticum ad satisfaciendum obligationi *antidotali*, seu *gratitudinis*, sine ullo scrupulo offerant temporalia dona suis benefactoribus, istique ex gratitudine sine ullo previo pacto tacito, vel expresso, data recipiant. Quinimo Sacra approbante, & commendante Scriptura, omnes fideles obligationi *Antidotali*, seu *gratitudinis*, qua aliis ob accepta beneficia temporalia adstringuntur, satisfacere conantur per spiritualia, fundendo videlicet preces, offerendo sacrificia, & hujusmodi pro dictis suis benefactoribus. Et sic alii propter beneficia spiritualia ad Religiosos *verb. grat.* accepta, ex gratitudine temporalia reddunt, & ministrant, id expresse approbante Paulo Apostolo 1. *Ad Corinth. c. 9. num. 1. ibi: Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

35 Dantur tamen multa spiritualia, ob quae quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem Juris prohibitionem, ut patet de Examinatoribus synodalibus, qui nec ante, nec post concursum possunt aliquid etiam sponte, & gratuito oblatum ad Concurrentibus pro parochiis acceptare, id expresse prohibente Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. c. 18.* Item pro collatione Ordinum, nec etiam gratis oblata recipi possunt, id expresse vetante eod. Concil. *Trid. sess. 21. de reformat. c. 18.* Item neque ante, nec post possunt etiam gratis oblata recipi pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum, reliquiarum, & hujusmodi, de quibus in suis propriis locis.

36 Colliges quinto, quod simoniam committit, qui temporale promittit, dat, vel praestat alteri, v. g. Ministro, vel Familiari, aut amico Episcopi, seu presentatoris, vel Patroni beneficii hac sola, seu principali intentione, seu hoc primario, vel solo motivo, ut apud Episcopum, seu presentatorem, vel Patronum intercedat, roget, vel ipsum efficaciter commendat in ordine ad obtinendum ipsum beneficium ecclesiasticum. Talis enim per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, & revera illud temporale pro isto spirituali promittit, dat, seu praestat. Sic Barbosa in *cap. Nemo, n. 4. de Simonia*, Sylvester *verb. Simonia, q. 6.* Layman *de simonia, §. 6. num. 63.* Navarr. *Manual. cap. 33. num. 106.* Bonacina *de simonia q. 1. §. 1. n. 14.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 122.* & *seq.* cum communi, & certa aliorum, *arg. c. Praesentium 3. caus. 1. q. 5.* ubi tamquam simoniaca reputatur promotio ad Sacerdotium obtemperata per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam Principi ejus, id est, alicui familiari, vel principali Ministro illius datam, & c. Statuimus 107. *caus. 1. q. 1.* ubi Nicolaus Papa tres enumerat species simoniae, quarum unam esse asserit, quando *simoniaci simoniace à non simoniaco ordinantur*, id est, quando Ordinandi pecuniam, seu aliud temporale promittunt, dant, seu praestant non Episcopo, sed alicui ejus familiari, & amico hac primaria vel sola intentione, ut ipsi ab Episcopo hujus ignaro promotionem ad Ordinem impetrent, seu obtineant.

37 Colliges sexto, quod simoniam committat, qui cer-

38 tatur, & sponder cum Episcopo, seu Collatore beneficii pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus. *Communis.* Et ratio clara est, quia illa astutia intendit movere Episcopum, seu Collatorem ad sibi conferendum beneficium, cum aequaliter faciat, ut ipse pro illa pecunia acquirenda sibi beneficium conferat lucrando mille aureos ex illa sponse, quae est revera palliata Simonia, cum sic non sit sponso, sed emptio.

Colliges septimo, quod conferens beneficium pecunia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit simoniace. In tali enim casu simoniace pretium accipit, & quamvis oretenus dicat se vendere suum arbitrium, revera tamen beneficium vendit, & peccat tum contra Religionem, tum contra Justitiam: Colligitur aperte ex sequenti propositione 22. in ordine inter merito damnata ab Alexandro VII. *die 2. Septembris 1665. ibi: Non est contra Justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia ecclesiastica interveniente pecunia, non exigit illam pro Collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Viva ad d. propositionem num. 5. Suarez lib. 3. de simonia cap. 59. & alii.*

Colliges octavo, quod non sit Simonia conferre alicui beneficium ecclesiasticum, seu aliud spirituale intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiae; Sic S. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 6. ad 2. Navarrus Manual. cap. 23. n. 107. Azorius part. 3. lib. 12. cap. 2. Pirhing. lib. 5. Decr. tit. 3. num. 139. Reiffenst. ibid. num. 132. & alii passim.* Quamvis enim talis Collator aliunde peccet, si intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiae conferat beneficia, seu alia spiritualia indignis, vel minus dignis, dignioribus neglectis, simonia tamen ob id non incurrit, cum nullo interveniat pacto, nec detur aliquid temporale pro spirituali: tum quia, si id esset simonia, esset etiam simonia fundere preces, offerre sacrificia pro aliquo intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiae, quod non est dicendum.

Colliges nono, quod non sit simonia conferre beneficium, seu aliud spirituale propter preces armatas, seu gravem metum incussum: Dummodo tamen nullo interveniat pacto, Suarez *lib. 4. de simonia c. 37. num. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 119.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 66.* La Croix *loc. cit. num. 84.* Pirhing. *loc. cit. num. 141.* restans de communi. Et ratio est, quia cum ibi nullum interveniat pactum, talis collatio beneficii non fit tanquam pretium cum quo cessatio injuria: seu metus incussi commutetur, sed solum tanquam medium spirituale offertur gratis ad tollendam injustam vexationem temporalem, secus autem esset dicendum, si collatio beneficii fieret cum pacto, & conditione, quod alter in futurum nullum damnium inferret Collatori, sed potius eum defenderet, quia tunc ratione talis pacti, & novae obligationis alteri impositae in commodum ipsius Collatoris esset simonia, quia talis nova obligatio est pretio aestimabilis, adeoque &c.

Colliges decimo, quod non sit simonia, si quis dat pecuniam Infideli, ut recipiat Baptismum, Haereticis, seu peccatoribus, ut convertatur, Juveni, ut fiat Clericus, dotem puella, ut fiat Monialis, & hujusmodi. *Communis.* Et ratio est, quia in dictis casibus nullus intervenit contractus onerosus, sed solum gratuita promissio, seu donatio, quamvis sub conditione, & justissimo fine, quae conditio, seu finis cedit non in commodum dantis, sed solum in spiritualem utilitatem recipientis, ut de se patet.

Alia ad rem. Vide *verb. Beneficia, verb. Jurispatronatus, verb. Resignatio beneficiorum, & signanter verb. Electio, art. 3. num. 26.* ubi datur per extensum constitutio. Innocentii XII. de illicitis capitulationibus, & aliis multis ad rem.

* Commendae, Prioratus, atque Praeceptoris Ordinis Hierosolymitani à Canonistis quidem tamquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pacto

tionem & munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu Theologi, animadvertentes non esse illis adnexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri Clericis, quae duo exigunt beneficia; quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere admissus est Clemens XI. in suo Brevis ad Magnum Magistrum ejusdem Ordinis, in quo etiam declarat, collationes hasce nullas & irritas esse, & fore. *De rymod. dicit. lib. 12. c. 51. nov. edit. **

44 T Mercari ecclesiam, vel officium sacrum per ordinationem conferendam, esse idem flagitium censuerunt Patres, quod Simon Magus commisit *Act. VIII. relatum cap. 5. 7. cap. 1. q. 1.* Hoc quum omnium confessione constaret, illud inter gravissima scelera referendum, & primo quasi loco collocandum esse rati sunt, ita ut Gratianus, & Raimundus de Pennafort primum locum inter ecclesiastica delicta ei dederint.

45 Conceptus vero simoniae tam prolixum pederent ambitum accepit, ut quae definitio ei conveniat, & facinus idem, quod Simon commisit, exprimat, non constet evidenter. Ex mente D. Thomae definiti à plerisque solet: *Determinata voluntas ad emenda, & vendenda spiritualia, itaque annexa.*

46 Simonia in duas commode species dividi potest, primariam, & secundariam. Illa ambitu ecclesiasticum, haec vero reliquias species, quae potissimum circa sacras actiones occupantur, complectitur.

47 Non conveniunt vero omnes circa ea, quae efferenda sunt ad simoniam secundariam.

48 Fata hujus criminis historice optime illustravit, & insigni rerum copia exornavit Thomasinus *part. 3. ver. & nov. eccles. discipl. lib. 1. cap. 49. & seq.* Feliciori vero conatu fata hujus criminis, tum latissimum ejus ambitum explicuit tradiditque Perichius in *tract. de simonia. Succinctior est Hannius de crimin. Ambit. eccles. seu simonia.* (Hic etiam conducunt *leg. 1. 3. 10. 15. & 16. tit. 67. p. 1.*)

ARTICULUS II.

Quod ea, quae concernunt simonias, quae committuntur in electione, presentatione, permutatione, & resignatione beneficiorum: In ingressu, & receptione ad Religionem, & in administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, & praestatione functionum, & actuum spiritualium.

SUMMARIUM.

- 1 Ellectio evadit simoniaca, & consequenter nulla, cum pro consequenda alia praelatura seu dignitate, datur seu praestatur aliquod temporale munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio.
- 2 Et talis electio de Jure est nulla etiam ante Judicis sententiam.
- 3 Talis electio est nulla, etiam si simonia sit occulta.
- 4 Immo est nulla electio, etiam si electus penitus ignoret simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus praesidium fraudulenter fiat ab aliquo inimico.
- 5 Hinc simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare Episcopatum, Prioratum, Rectorem, Guardianatum, Definitorium, Provincialatum, Generalatum: Nec abrotol potest, priusquam renuntiet. Et hoc etiam si simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab alio ipso quoque nesciente.
- 6 Assignantur variae electiones simoniaca, & nulla propter illicitas conditiones electorum.
- 7 Patroni à Praesentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum.
- 8 Praesentatio est simoniaca, quando aliquid datur, vel

promittitur pro habendis vocibus, seu presentationibus patronorum.

- 9 Quamvis id fiat etiam ipso presentato ignorante.
- 10 Resignatio beneficii, cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus, non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris. Et quid sit regressus, ingressus, vel accessus.
- 11 Resignatio beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim à Resignante in adsecutione illius beneficii, est simoniaca, unde non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris.
- 12 Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione resignationis, atque in expeditione Bullarum ab utraque parte eorum faciendas, est simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papa inferiori.
- 13 Potest tamen fieri talis conventio, & pacto cum facultate, & approbatione summi Pontificis.
- 14 Resignatio beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut Resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, & simoniaca simonia confidentiali.
- 15 Pro voto habendo promittere officium, seu beneficium ecclesiasticum est simonia, & multo magis si fiat reciproce talis promissio, aut pactum.
- 16 Simonia est dare temporale, ne eligatur dignus, aut minus dignus.
- 17 Non est autem simonia dare temporale, ne eligatur dignus, aut minus dignus, ut loco indigni aliquis certus eligatur.
- 18 Dare temporale pro confirmatione obtinenda, seu ne impugnetur electio ab aliquo, qui justam impugnandi, seu contradicendi causam habet, est simonia.
- 19 Dare, vel accipere temporale pro ingressu, & receptione ad Religionem est simonia.
- 20 Alia dicta, & conclusa ad rem, remissive.
- 21 Si monasterium reperiretur inops, mediis, vel redditibus non sufficienter fundatum, licite consequenter absque simonia peti, & accipi possent temporalia ab ingredientibus illud; non quidem pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione ad Religionem, vel professionem, sed pro honesta sustentatione.
- 22 Hodie autem circa id contrarium est sentendum.
- 23 An sit simonia, si gratis dentur aliqua munera superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in Religionem.
- 24 Pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, & pro functionibus ecclesiasticis ex pacto tacito, vel expresso dari, seu accipi quid temporale per modum pretii, est simonia Juris divini.
- 25 Non est autem simonia pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, seu pro functionibus ecclesiasticis, dare, & accipere temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem Ministrorum ordinari.
- 26 Clerici ecclesiae Ministri habentes ad sui honestam, & congruam sustentationem sufficientes ecclesiasticos redditus ipsi pro suis ministeriis assignatos, simoniam committunt, si pro functionibus ecclesiasticis, ad quas ex Officio tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigant, quando illa nec Jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo permittit.
- 27 Pro actu vel exercitio Jurisdictionis ecclesiasticae temporale per modum pretii accipere est simonia.
- 28 Assignantur in specie qui in hoc simoniam committunt.
- 29 Adducitur, & solvitur obiectio.
- 30 Adducitur, & solvitur instantia.
- 31 An Episcopi, pro labore, quem habent in executione dispensationum Matrimonialium à Sede Apostolica sibi commissarum, possint exigere aliquid temporale, ubi ita exigendi viget consuetudo legitime praescripta.
- 32 Non est simonia etiam ex pacto exigere, seu accipere, non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad honestam sustentationem aliquid temporale.

le, pro missis, orationibus, aliisque bonis operibus spiritualibus.

- 34 Sunt tamen sub excommunicatione prohibita omnes ex pacto donationes, promissiones, & hujusmodi, quomodo ista non sint acceptatae pro obinenda pro se, vel pro alio Justitia, vel gratia aliqua apud Sedem Apostolicam, etiam apud mediatos intercessores.
- 35 Affertur ad id constitutio Alexandri VII. confirmata, & extensa ex post ab Innocentio XII.
- 36 Additur attendenda notabilis resolutio Sacrae Congregationis Concilii.
- 37 Add. ex aliena manu, ad num. 39.

ELECTIO evadit simoniaca, & consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua prelatura, seu dignitate datur, seu praestatur aliquod temporale munus, vel à lingua, vel ab obsequio, c. Quam pio 2. caus. 1. q. 2. cap. Non satis 8. & cap. Mandato 36. de Simonia, cap. Monachi 2. de statu Monachorum.

Et talis electio de Jure est nulla, etiam ante Judicis sententiam. Vide verb. Electio art. 4. n. 60. ubi dantur ad id Jura.

Talis electio est nulla, etiamsi simonia sit occulta. Vide ibi n. 61.

Immo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus praedictum fraudulenter fiat ab aliquo inimico. Vide ibi n. 62.

Hinc simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare Episcopatum, Prioratum, Rectorem, Guardianatum, Definitorium, Provincialatum, Generalatum, nec absolvi potest, priusquam renuntiet. Et hoc etiamsi simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis ipso quoque nesciente. Vide ibi n. 63.

Assignantur variae electiones simoniace, & nullae propter illicitas pactiones Electorum. Vide ibi n. 64.

Patroni à Presentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impostum; c. Sicut 2. de supplenda negligentia Prelatorum, cap. Praeterea 23. de Jurepatronatus. Vide verb. Jurepatronatus art. 4. n. 20.

Presentatio est simoniaca, quando aliquid datur, vel promittitur pro habendis vocibus, seu presentationibus Patronorum; arg. cap. Veniens 19. de Simonia. Vide ibi n. 21.

Quamvis id fiat etiam ipso Presentato ignorante, c. Si alienus 50. de electione, cap. Nobis 17. de Simonia. Vide ibi n. 22.

Resignatio beneficii cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus, non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris, sed solum in manibus Summi Pontificis. Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 7. S. Plus V. const. incip. Romani Pontificis providentia: Vid. verb. Resignatio n. 48. Quid autem sit regressus, & ingressus, vel accessus? Vid. ibi n. 10.

Resignatio beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim à Resignante in assecutione illius beneficii, est simoniaca. Unde non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris. Vid. ibi n. 50.

Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione resignationis, atque expeditione Bullarum ab utraque parte ceteroquin faciendis, est simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papa inferiori. Vide ibi n. 51.

Potest tamen fieri talis conventio, & pactio cum facultate, & approbatione Summi Pontificis. Vide ibi n. 52.

Resignatio beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut Resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, & simoniaca simonia Confidentialis. Vide ibi n. 53. & per tot. ubi multa de resignant. & permutat. benefice.

Pro voto habendo promittere beneficium, aut offi-

cium ecclesiasticum, seu spirituale, est simonia, & multo magis, si fiat recipere talis promissio, aut pactum, verb. grat. Dabo tibi tale beneficium, si dederis mihi tuum votum. Vel, dabo tibi meum votum, si conferes mihi tale ecclesiasticum officium, seu beneficium. Communis, per text. in cap. De hoc 11. de Simonia.

Simonia est dare temporale, ne eligatur dignus. 16 Glossa communis recepta in cap. Nemo 14. de Simonia verb. Celer, & ibi Abbas num. 1. Pithing. loc. cit. n. 87. Reiffenstuel loc. cit. num. 144. & alii passim, arg. cap. Nullus Episcopus 124. §. Si quis autem caus. 1. n. 1. Et ratio est, quia simonia committitur, non solum quando datur spirituale pro temporali, sed etiam quando quis spirituale, quod impendere tenetur, pro temporali interesse, vel commodo dare, vel praestare omittit.

Non est autem simonia dare temporale, ne eligatur indignus aut minus dignus: Sic Navarrus in manual. cap. 23. num. 102. §. 8. Palao de Simonia in punct. 20. n. 8. Azorius p. 3. l. 12. cap. 7. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 19. Pithing. l. c. n. 87. Reiffenst. loc. cit. n. 145. cum Cajetan, Soru, Suarez, & aliis ibi allegat. arg. cap. Dilectus 28. de Simonia: Et ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indigne, & male conferatur.

Nisi tamen detur temporale, ut loco indigni aliquis certus eligatur, quia tunc committitur vera simonia, etiamsi detur illud temporale, ut negligenter indigno, seu minus digno eligatur aliquis determinatus, quamvis omnium dignissimus. In tali enim casu vere datur temporale pro spirituali, nempe pro electione certa, & determinata personae, quod est simoniacum, ut tenent supra citati Doctores, & alii communiter.

Dare temporale pro Confirmatione obtinenda, seu ne impugnetur electio ab aliquo, qui iustam impugnationem, seu contradicendum causam habet, est simonia. Communis quoad utramque partem: Et quidem prima pars, scilicet pro confirmatione obtinenda, licet constat ex cap. Sicut tuis 35. de Simonia, ubi expressè declaratur, quod simonia sit offerre, vel dare temporale pro confirmatione obtinenda, cum confirmatio sit revera quid spirituale: secunda autem pars, scilicet ne impugnetur electio, habetur clare definita in cap. Mattheus 23. de Simonia, & concordat cap. Cum pridem 4. de pñis.

Dare, vel accipere temporale pro ingressu, aut receptione ad Religionem, est simonia, & quidem Juris divini; Communis ac certa, textu expresso in cap. Non satis 8. de Simonia, ibi: Tam ille, qui dederit, quam ille, qui receperit, vel contulerit, partem se cum Simone non dubitet habiturum, juncto ejus summario ubi sic expressè dicitur: Simoniacum est pretium recipere pro ingressu Religionis; & concordat cap. Veniens 19. de Simonia, ubi reprobat etiam consuetudo contraria, & Regulares transgressores, tam Superiores, quam Subditi, ab officio suspenduntur, & obligantur ad restituendum pecuniam taliter receptam, & cap. Dilectus 30. de simonia, juncto ejus summario, ubi sic expressè habetur: "Si per accusationem constat Monachum Simoniace fuisse receptum, Receptus, & Recipientes deponuntur: Si vero per inquisitionem, Receptus in arctius monasterium detruditur, Recipienti vero, & Majoribus poena condigna imponitur. Et interim ab executione Ordinum Sacrorum suspenduntur" & cap. Quoniam 40. de Simonia (leg. 13. tit. 17. ej. part. 1.) juncto ejus summario sic expressè dicitur: Religiosi pretio recepti una cum recipientibus de Monasterio expelluntur, & in arctioribus monasteriis ad agenda penitentiam detruduntur, & expressè Extravagant. Sane 1. de Simonia, ibi: "Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, & aliis locis religiosis, tam virorum, quam mulierum, Ordinum, Religionum, & partium diversarum, detestabilis, & à canonibus reprobata servatur abusus, quod cum personae aliquae recipiuntur ab eis ad observantiam Regularem, ipsae temeritate praesumptuosa, pastus, seu prandia

Capitulis, & Conventibus ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratum, & locorum, aut pecunias, aut jocalia, seu res aliquas ipsis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, & locis, seu presidentibus eis ex statuto, seu consuetudine, quae corruptela est potius dicenda, tribuere compellantur." Et infra, postquam damnatus hujus vitii allegavit Summus Pontifex, districtius inhibet omnibus Regularibus utriusque sexus: "Ne tam à maribus, quam à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, ecclesias, monasteria, prioratus, domos, seu loca in earundem personarum receptione, aut ante, vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu comas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quocumque modo praesumant... Illa dumtaxat, quae personae ipsae ingredientes, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, & locis hujusmodi voluerint cum gratiarum actione licite recipiunt." Quid clarius? Et ratio est etiam clarissima, quia Religio omnino est quid spirituale, adeoque temporale dare, & recipere pro ingressu, & receptione ad ipsam, est vera Simonia.

Unde vide dicta, & conclusa ad rem sub verb. Novitius à num. 56. ad num. 65. & sub verb. Moniales art. 2. à num. 52. ad 63.

Si monasterium reperiretur inops, mediis, vel redditibus non sufficienter fundatum, licet consequenter absque simonia peti, & accipi possent temporalia ab ingredientibus illud, non quidem pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione ad Religionem, vel Professionem, sed pro honesta sustentatione. Sic expressè Sanctus Thomas in 4. dist. 25. quest. 3. art. 2. ad 7. ibi: "Cum possessiones aliquis loci Religiosi non sufficienti ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in illo loco vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat monasterium, unde ei possit providere, & ideo non committitur Simonia;" & idem habet 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. ibi: "Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium: Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae, quae in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficienti monasterii opes." Item Sanctus Bonaventura libello Apologetico in eos, qui Ordini Fratrum Minorum advertebant, q. 18. ibi: "Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam aliis libenter recipiant, si habent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet." Item Sanctus Raynaldus in Summa lib. 1. tit. 1. §. 22. ibi: "Credo quod possunt dicere: Non sufficienti Nobis (redditis); libenter suscipimus te ad spiritualia, sed temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones, & tunc ille offerat se, & sua." Item Glossa in cap. Quoniam 40. de Simonia verb. Pauperatis, ibi: "Posset dici, quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi aliis aliquo modo aliquid recipere, quia non habent ibi victum, sub hac forma possent recipi: non habemus quid demum tibi pro victu, nisi tu portes tecum unde vivas. Dummodo tamen hoc non dicatur in fraudem, & sine aliquo pacto." Et sic Silvester verb. Simonia q. 15. dist. 2. Navarrus de redditibus eccles. q. 1. monit. 61. Layman de Simonia num. 38. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 12. assert. 3. Tamburin. de Jure Abbat. tom. 3. disp. 6. q. 9. Marchant. tom. 3. tract. 10. tit. 9. q. 10. concl. 1. Pithing loc. cit. num. 59. Reiffenstuel loc. cit. num. 163. testans de communi, tam Theologorum, quam Canonistarum, per text. in cap. Quomodo pio 2. caus. 1. q. 2. Et ratio est, quia tunc non daretur, nec exigeretur temporale pro spirituali, scilicet pro ingressu ad Religionem, seu admissione ad professionem, sed ut quid necessarium pro victu, vestitu, ac honesta sustentatione

ingredientis, seu Proficientis, quod est etiam quid mere temporale.

Hodie autem cum Regulares tot solum stare debeant, & possint in monasteriis, quor alii commode possunt per redditus, seu consuetas elemosynas eorum; cap. Periculoso unio. §. Sane, de stat. Regular. in 6. Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 3. Clemens VIII. constituit. 60. incipient. Nullus: Paulus V. constituit. 9. incip. Sanctissimus: Urbanus VIII. constituit. 43. incip. Cum saepe: Innocentius X. constituit. incipient. Inter cetera: Innocent. XII. const. incip. Nuper à Congreg.: Stat. quod neque monasterium praetensum inops possit aliquid per pactum exigere ab ingredientibus pro illorum sustentatione, quia ejus Religiosi labem simoniae Juris saltem Ecclesiastici contrahunt. Unde quod non liceat aliquid peti, seu exigere, neque titulo elemosynae, per addendum ad habitum, & professionem Regularem, patet etiam ex declaratione Sacrae Congregationis Concilii, quae in una Leonidiana pro PP. Carmelitis Calcearis hinc quasio pro maribus facta 9. Febr. 1697. respondit, Severetur dispositio Juris. Sic refert Monacell. part. 1. tit. 11. formul. 7. num. 8. De Jure autem est, quod Religiosi, & Religiosae non debent, nec possunt pretio recipi ad Religionem, & Professionem Regularem, cap. Non satis 8. cap. Veniens 19. cap. Dilectus 30. cap. Quoniam 40. de Simonia, & Extravagant. Sane 1. de Simonia; eujus Extravagantis verba allata supra num. 20. sunt valde notanda, sicuti & sequentia verba citati cap. Quoniam 40. de Simonia, ibi: Pauperatis prae-textu volentes hujusmodi vitium palliare. Vide verb. Moniales art. 2. num. 12. & à num. 52. ad 63. verb. Novitius à num. 56. ad 65. verb. Regulares num. 86. & 87.

Non esse autem simoniam, si gratis detur munera Superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in Religionem, cum id nullo Jure sit prohibitum, tenent cum aliis Diana part. 3. tract. 2. resol. 64. La-Croix lib. 3. part. 1. num. 188. Ad ego cum aliis dicere, & quidem ratione, & Jure sufficit, quod si dicti Superiores, vel alii Religiosi tantae sint auctoritatis, & praepotentiae in sua Religione, ut amice, vel principaliter ab ipsis dependeat ingressus, seu admissio ad Religionem, & sine temporalibus muneribus numquam, seu vix acceptentur, & admittantur juvenes ad Religionem, tunc ab ipsis committitur vera simonia, quia in tali casu munera temporalia sunt efficax causa, cur juvenes acceptentur, & admittantur ad Religionem, cum sine ipsis non soleant acceptari, & admitti, vel tamdiu differantur, & procrastinantur, ut aliò divertere cogantur, sicuti simoniace praxi compellantur, non gratis, sed tamquam quid ab ipsis necessario velut pretium exactum talia munera temporalia tribuere, & consequenter committitur vera simonia, cum revera in simili casu detur temporale propter spirituale, per text. in cap. Non satis 8. cap. Veniens 19. cap. Dilectus 30. cap. Quoniam 40. de Simonia, & Extravagant. Sane 1. de Simonia. Et faciunt dicta supra num. 20. & sub verb. Novitius à num. 56. ad 65. & sub verb. Moniales art. 2. à num. 52. ad 63. Vide ibi.

Pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, & pro functionibus ecclesiasticis, v. g. benedictionibus, sepulturis, & hujusmodi, ex pacto tacito, vel expresso dari, seu accipi quid temporale pro modum pretii, est simonia Juris divini. Communis, textu expresso in cap. Cum Ecclesiae 9. cap. Ad Apostolicam 42. de Simonia cap. Placuit 1. cap. Quam pio 3. cap. Nullus 3. caus. 1. quest. 2. cap. Si quis obiecterit 7. caus. 1. quest. 3. cum similibus: Et ratio est clara, quia cum supradicta omnia sint quid spirituale, dare, aut accipere pro illis temporale pro modum pretii est vera simonia. Vide infra a. 3. num. 35. & 40. ubi probatur esse de Jure divino. (Legri: jam toties cit.)

Non est autem simonia pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, seu pro functionibus ecclesiasticis dare, & accipere temporale pro modum stipendii ad honestam sustentationem Ministrorum ordinati. Communis, per claros textus tum in variis Sa-